



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 117. Rex sibi præsens usque ad mortem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A.C. 1483.

mæ suæ salutis invigilet ; nam spei nihil  
auxilii que superest. His singuli ad  
alia addebant, quibus Ludovicus respon-  
dit: reposita est spes mea in Deo meo, cui  
sint laudes, quod adeo periculoso, ut pro-  
tatis, morbo non decumbam.

§. CXVII.

*Rex sibi præsens usque ad  
mortem.*

Sors tulit, quod Ludovicus eorum con-  
silio, qui illi salutis suæ curam com-  
mendabant, acquiesceret; quare Delphi-  
num Filium suum Bellojoviensis Prince-  
pis generi sui sollicitudini committit.  
Cancellarium sigilla ad eundem Delphi-  
num, quem Regem nominabat, deferri  
jubet, ac singulos ad fidem, obsequium  
que novo Regi strenue præstandum ad-  
hortatur: Filio autem suo speciatim  
præcipit, Cordæo supremum regii exer-  
citus imperium deferret, eidemque inhi-  
beret, ne conceptum de expugnanda Ca-  
letensi urbe consilium effectui daret.

*danus ad annum 1483. num. 2 inquit, con-  
stantius mortem venientem aspexit, quam ex-  
stimaverit, confortatus ad id maxime B. Fran-  
cisci de Paula, qui aderat, hortationibus. Si-  
milis in vita hujus Sancti apud Bollandistas  
aliosque Scriptores passim reperire est.*

cum enim Delphinus ob juvenilem ætatem ægre admodum ex tam periculoso negotio eluctari posset, sive demum prospero sive adverso Marte pugnaret, hinc semper consultius fore dicebat, quod nulla mora Angli mare redeundo trajicerent; omnino enim regni salutem exposcere ajebat, ut cum omnibus Principibus saltem per quinque vel sex annos pacem haberet. Cuncta hæc mandata dedit animo adeo sibi præsentente, ut nunquam, inquit Comminæus, tanta judicii acie præditus fuisse videretur. Paucos adhuc dies supervixit, nunquam de morbi violentia conquestus, ac summo pietatis sensu divina, quæ ægris administrari solent, sacramenta percepit, non nisi de Deo colloquia miscens, ac nonnullas preces ad B. V. Mariam effundens, ut in die Sabbati ex hac vita decedendi gratiam per eam impetraret.

## §. CXVIII.

*Ludovici XI. obitus.*

Piis Ludovici votis adfuit Beata Virgo; obiit enim Pleffiaci die Sabbati trigesima mensis Augusti vespere hora octava Anno ætatis suæ sexagesimo primo, Regni vigesimo tertio. Ejus corpus, ut constituit, ad ædem Beatæ Mariæ de Cleriaco non longe ab Aurelius sepultum est;

Sæcul. XV.  
A.C. 1483.

*Comm. cap.  
12. lib. 6. in  
fin. Polyd.  
Virgil. l. 25.*